


ALEXANDRI IVLII EDINBVRGENI

SCOTO-BRITANNI SYLVARVM LIBER.



EDINBVRGI,
Excudebat THOMAS FINLASON. Typographus
Regiæ M. 1614.

CAROLO DIVINO BENE-
FICIO SCOTORVM & VVALLIAE
Principi Sereniſſimo, gratia pax & ſalus in
CHRISTO ſempiterna.

CVM in publica omnium lætitia, partim Regni & Reipublicæ, partim fœlicitati ſuæ gratulantium de jucundiſſimo nuncio fratris olim tui, mi Princeps, divino beneficio ſuo tempore in hanc vitam ingreſſus, animus mihi quoq; ſicuti par erat, è tanta re nata, & tam diu ſperata, non mediocriter gaudio exultaret: Quod, quia tum vel geſtu & ſonora exultantium voce, ut plerių; omnes populares noſtri, ac præſertim Sterlini patriæ vrbis illius cives, vel vultu palam præ me ferre ſubruſticus quidam pudor vetaret (vultum enim mihi ſiue natura, ſiue conſuetudo potius, ad triſtiorem quandam ſeueritatem formaſſe videtur,) Illud certè nec me minus dignum, & tuæ Celſitudini magis jam gratum fore exiſtimaui ſi lætitiam inde perceptam, quam tum apertè non tuliſſem, hac qualicunq; ſcripturæ ſignificatione denuò teſtatam renouarem, quamquidem ſcripturam ſitu pene ſqualentem, cùm apud me in muſæo inter cæteras noſtras ſchedas negligentius rejectam offendiſſem in T.C. jam nomine apparere volui, quaſi grati animi mei, & quæ T. nunc C. illumq;, mi Princeps, olim jure colebam debitæ obſervantiæ teſtificationem: Cujus enim ego natalitium libentius memoria tenerem, quàm tanti olim Principis, quem ego infantem tenellum, ut alteram quondam ampliſſimi imperij ſpem ulnis nonnunquam, & ſinu complexus geſtabam, cujus puerilem animum puerilibus blanditiis delinitum ita mihi olim conciliabam, multa ſubinde cum illo familiariter & pueriliter jocanti, ut ſæpe percontanti mihi quiſnam mihi fuerit ſæpius ab illo reſponſum hoc tuliſſem, Is ſum qui fuero tibi dulcis avicula ſemper. *Hæc autem natalis ejus, mi Princeps, celebratio ſicuti ad illius tem*

poris

poris rationem, quo primum a nobis conscripta est, & ad memoriam nostræ tum conditionis referri debeat, sic etiam, quæ huc accessit gratulatio de Regis nostri serenissimi Sterlinum quondam reditu carmine minus, quam par fuerat, honoro celebrata, multos ante annos R. M. oblata, nunc quoq; ut olim, ad patris & tui, mi Princeps, desiderium accomodanda est; quoquidem hîc omnes vehementer incensi etiamnum laboramus. Carmen autem illud eò accuratius T. C. commendandum censui, quò expressius raram illam quidē Ideam paterni ingenij paucis complecti videatur, tanquam Archetypum quoddam rudi Minerva delineatum, & quasi speculum sæpius tibi consulendum, in quo jam teipsū venerandam paternæ humanitatis, clementiæ, & probitatis effigiem vivam contemplans ad veræ laudis paternæ hæreditatem aspirare videaris. Omnes enim de Principe serenissimo cives bene existimantes vota in dies singulos facimus, ut fælici auspicio in societatem paternarum laudum venisse te aliquando lætemur, & in demortui fratris locum surrogato epigrammatis præsixi & Genethliaci fraterni encomia non minus jam tibi jure hæreditario vendicare possis, quàm olim fratri hanc vitam incolenti non immerito tribuebantur. Postremo loco Genethliaco fratris subijcienda curavimus epithalamia quædam, eisq; epicedia nonnulla a nobis conscripta, & tui nominis amplitudini nuncupata, ut tametsi omnes sciant ideo se natos esse ut alij a sese nascantur, & conjugium scitum esse divinum, eamq; ob rem in honore habendum quod naturali libidinis titillationi, eo remedio uti, & ab omni turpitudine abhorrere a Deo mandetur, homines tamen sese natos esse meminerint, & dum voluptatibus quamvis licitis indulgent mortem tamē aliquando cum vita eis commutandam esse cogitent: namq;

Nâscimur ut thalamus tandem genialis adultis
Prole beet nobis, exhilaretq; lares:
In thalamo tumuli memorem decet esse futuri
Spernentem vitæ gaudia vana brevis.

Hoc vero munusculum sine verborum concinnitate crassa tantum Minerva ad puerile fratris ingenium jamolim exaratum & jam tuo mi

cipies

Princeps, nomini commendatum, pro ista clementia in eam partem accipies, ut ab animo tui omni observantia dignissimi studioso profectum. Vale & salve in Christo plurimū principum longè omnium gravissime, totiusq; orbis terrarum, nostriq; seculi principum facile Princeps.



Ad CAROLUM Divino beneficio Scotorum & VVall iæ Principem Serenissimum Alex^r. Julij Epigramma.

Quem terna tandem jure sceptra vendicent
Paterna, bis binaque simul
Vel jure cujus debeantur indoli
Maturiori, spes, caput,
Columen futurum pervetustiq; imperij
Altæque gentis gloria,
Camæna sæpe ut nuper infantaria
Hæc fœtuum donaria
Offert, pudore infante, pene infantia,
Pannis & annis obsito
Amicta cultu, Principis patrocinii, et
Auræ faventis indiga:
Tantilla tanto quæ sacrare nomini
Non amplitudo terreat,
Tam rara pulchro quando se clementia
Vulru renidens exerat:
Adsis favensq; grata Princeps inclyte
Tuere mentis pignora,
Te digniorum ut post colaris munerum
Benigniore copia.



HENRICI FRIDERICI SERENISSIMI QUONDAM SCOTORUM & WALLIAE

Principis Genethliacum, octavo ab ejus natali die Regiæ patris ipsius M. oblatum.

Dulcibus unde novi stimulis agitata furoris
Mens mihi blanda novæ ponit certamina Musæ?
Pierides sacris cur fontibus ora relaxant
Clausa diu? *Aoniæ* florent viridaria sylvæ?
Tu decus *Aonidum*, votorum summa piorum,
Lætitięque animi argumenta ingentia vatum,
Regia progenies, thalami sors prima, Camęnę
Cui pia purpureis redimitæ tempora vittis,
Nunc *Pæana* canunt, nũc *Phæbo* digna loquũtur.
Vana procul dubię valeant pręsagia mentis,
Impia sortilegę cedant procul omina linguæ,
Sit numeros tentare nefas *Babylonis* inertes,
Fata recensere, & fortunas Principis alti;
Nil tamen invidiæ est, animo pia vota foventem
Velle frui optatis, grataque hæc voce fateri:
Nam quis præteritos lachrymis æquare labores,
Acceptas clades, exhausta pericula fando,
Aut queat averso luctu meminisse malorum,
Queis Deus accensa miseros exercuit ira.
Hoc iam etiam res sũma loco, quot monstra, quot ulla

Terra vides ſcelerum facies, tot cæca furore
Terra Britanna foves, graſſatur libera paſſim
Impietas, ſine more ruunt, ſine lege, nocendi
Inflammato animo rabies quos improba mẽtis
Exigit, abruptum fas omne, impunè ſuperbi
Gloria ſpreta throni jacet: ô fera tẽpora! mores
Sacrilegos! immane nefas ô turpiter auſos!
Flagitium tua pœna tuum eſt, ſcelus anne merentem
Expendiſſe vides? jamjamque expendere, ſanctæ
Legis in obſequium ullius gens neſcia flecti?
Hinc pavor, hinc luctus dubios crudelis ubique
Exagitant animos, & plurima mortis imago;
Dum tumidas tonat ore minas vicinia, dumq;
Dira iterum emenſo pelago tentare *Britannos*
Monſtra ſinus, mediaq; parant conſiſtere terra
Et glomerare manum bello, & fera fata minari,
Quam Deus hiſce velis terris avertere peſtem,
Ut quę quiſq; ſibi metuit, quęq; intonat hoſtis,
Hoſtis in exitium ipſius converſa feramus.
Quid moror? aut ultra vehor hęc ingrata revolvens?
Scindimur immemores ſtudia in contraria cives,
Obſtamuſque aliis alii, iuvat enſe cruento
Ultricique animos flamma ſatiare furentes,
Mutua fulmineas vibrare in vulnera ſicas:
Prædator latos vaſtans cultoribus agros
Inſidiis fundit, cava quos circumvolat umbra
Noctis, & alma dies radiis tepefecit obortis.
En rebus fortuna tuis iam *Scotia*, fato
Scilicet incolumis manſit, populator iniquo,
Ut meritas pendas violati numinis iras.
Sed tamen ut pelagi rabie, longũq; procella
Cum quaſſam *Æolia* nox intempeſta carinam

Exani

Exanimarit, eamque diu prædonis adunco
Prenderit harpago morsu: hîc si flamina ponũt
Si mare sternat aquis aspirans blandior aura,
Si iubar exortum radiis patefecerit orbem,
Tutaque tranquillas liceat dare vela per undas,
Detur ut optatum votis contingere portum;
Corda diu suspensa metu iam blanda vicissim
Gaudia pertentant, posita formidine nautis:
Sic meritis domitam plagis te *Scotia* plausus
Excipit, & melior tandem fortuna revisit.
Nam pater ætherius posita placabilis ira,
In populum male gratum animum mentemq; benignã
Accipit, & facilis fessam post multa tuorum
Funera, post varios ruris que urbisque labores
Respicit, atque boni dans signa secunda futuri,
Turbida tristitiæ vult cedere nubila, dulci
Principis exortu ut renoventur gaudia mundi.
  Ergo tibi lætos genitor celebramus honores,
Quod decima hæc soboles extrema ab origine gentis
Per seriem patrii ius immutabile sceptri
Firmat, & illa decus STEVARTI nominis augens,
Imperii iam solatur prope damna ruentis;
Hanc sine nos teneræ tanto de semine prolis
Non dubiam spem ferre, huius quam prisca tulerunt
Secla domus, cuius rara est clementia regni,
Rara fides, decus, & raræ virtutis imago,
Munia seu pacata obeat, seu bella capessat.
  Ergo age nunc venerãde puer regalibus orte
Auspiciis, preciosa quies, & gaudia solis
Nata piis, formido malis, terrorque profanis,
Et patris, & regni decus immortale paterni;
Aurea quem circum clara pax luce refulget,

Corpo

Corpore macte esto incolumi, crescentibus annis
Ingenio, virtute nova cùm adoleverit ætas,
Percellatque animum patriæ pietatis imago:
Aura velut gemmam de palmite blanda tenellam
Evocat, & pulchrum germen viridantis olivæ
Cùm tepidi refovent soles, sensimque quietas
Concipiunt vires,& pinguia pabula fibræ,
Dum validus lento obducat se cortice truncus,
Ut videas summis æquare cacumina tectis:
Sic teneros miranda artus quæ finxerat arte,
Materno in gremio subtili involvit amictu,
Ætherium moli moribundæ afflaverat ignem,
Infantem elicuit gratas in luminis oras,
Sollicita foveat cœli indulgentia cura;
Dum matura ætas,dum vita domestica patrum
Excitet in veterum virtutem,animosque viriles
Dum juvet inventas mentem excoluisse per artes,
Consilioque animi sano, & maturior ævo
Instituas belli, pacisque imponere morem,
Atque tui memores alios fecisse merendo,
Omnia magnorum non unquam indignus avorum.
Fallimur? an frustra hæc hebetem fiducia mentem
Occupat? & vana deludit imagine sensum?
Scilicet haud fallax animum mihi decipit omen,
Verborumque fidem facient eventa piorum,
Nominis auspicio tanti se gloria tollet
Imperii, sincera fides, blanda otia pacis,
Te duce sancta colet terras *Astræa* beatas,
Gloriaque optati renovabitur aurea secli;
Appluet hinc comes *Astrææ* bona copia cœlo;
Sic nova mortales hilarabunt gaudia vultus,
Jurgia sic litis, violentia, crimina fraudis

 Destitu-

Destituent miseros in secula multa *Britannos.*
Ore favete omnes mecum pia turba, secessat
Invidia atque aliò liventia pectora flectat,
Dum vota hæc faciens prȩsagia fausta pererro.
Phosphorus auroræ noster sic prævenit ortus,
Ut gelidȩ tepeant nascenti sidera brumæ,
Ut faciem cæli lampas phæbæa serenet,
Pacalisque pyræ dent clara incendia lucem,
Accensa ut noctem flammis funalia vincant,
Cuncta Deo grates fora, compita, templa sonarent,
Lætitia exultet lactans infantia, robur,
Flosque virûm, pueri, primævo flore juventus,
Virginitatis honos, matronaque sancta, senatus
Concilium plausuque fremat, lætæque choreæ
Cantibus, huncque diem celebri signarit honore:
Scilicet arcano factum est hoc numine, numen
Consopita novo pulsavit pectora motu.
Si locus omen habet, si quid sibi vendicet ort⁹,
Quæ major fortuna loci? quàm cujus amæna
Regia, regales animos, & pectora quondam
Produxit, natos tot sustulit antea reges,
Horrenda imprimis hæc relligionis honore,
Regibus unde omen fuerat sua sumere sceptra.
Vos quoque fœlices fœlici prole parentes
Cogitis haud dubias tacitis spes addere votis,
Quorum animi, quorum ut virtus spectata, probati
Conveniunt mores sic nobilitatis honori.
Si quibus hanc videor spem vanam, & vota fovere
Hîc tacito obtutu, hîc hærentes pectore toto,
Cernite quanta infans divini signa decoris,
Quàm gerat immotos oculos, qui spiritus illi;
Discite sidereo radianti lumine vultu,

Quem

Quem sese ore ferat, quantumque sit instar in ipso,
Hinc quantum eniteat decus, & pax aurea, quàm se
Debita venturo prodat clementia sceptro.
Salveto ut regni, sic connubialis amoris
Pignora sic procerum pacalia: fallor an ulla
Ullo se tantum tellus jactabit alumno,
Spe proavos tantum tollet suscepta propago
Conjugio é tanto, & fœlici sidere nata,
Dummodo longęvo longùm superesse parenti
Fata sinant, roseę nec rumpant fila juventæ.
Gloria cùm talem maneat cùm gratia partum
Omnis in hoc charo stet principe cura parētum:
Cùm poterit notas audire & reddere voces,
Imperii a tenero simulachra exerceat ævo;
Ceu fultus solio æquævis det jura ministris,
Concilium tanquam regni de rebus habere
Incipiat, sontum vitas & crimina discens,
Hos pœna, meritoque bonos dignetur honore;
Nilque novum gelidas hyemes tolerare, labores
Sit vigiles, inopi jeiunia solvere victu;
Ut lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangant:
Indolis ille suæ specimen det, regius ante
Quàm puer arcanos cupiat cui credere sensus:
Tum quibus utatur videat florentibus annis;
Fluxa quibus pigro torpescunt membra Veterno.
Quique fovent molli effusè sua tempora luxu,
Gens secura Dei, & divini fœderis, exlex,
Quiqne suùm duplici fucarunt pectore sensum,
Auri sacra fames, & amor queis crescit habendi,
Principis haud fas sit sacratum insistere limen:
Ast aliquid si agitat mens ulli invadere magnum,
Si pietas docuit quenquam contemnere sordes,
His sociis seros longævus compleat annos,

Sitque fides vocum, rerumque his magna ſuarum;
His ſociis cieat pugnæ ſimulachra ſub armis,
Pectus in adverſum ceu vel ferat obvius hoſtem
Ipſe pedes, vel equi fodiat calcaribus armos,
Sic facili tractare manu in diſcrimine veri
Martis ut arma queat, tela ictu infeſta laceſſens,
Cùm pietas, regnique ſalus cùm poſtulat illud:
Sic animum accendat laudum non parca cupido,
Ut tamen ingenii minor haud ſit gratia tanti,
Cùm datur ingenuas pectus coluiſſe per artes,
Cura animi ut firmo creſcat cum corporis auctu;
Nam venit incultis tantum paliurus in agris,
Miſta filix tribulis, & ſpinis horrida ſentis,
At doctrina feros emollit candida mores,
Noxia proſcribens animi contagia pravi.
Hinc legat æternis mandata oracla tabellis,
Quò trahat ætherium divini luminis hauſtum,
Doctus ut inde ſui, & norit Rex eſſe ſuorum;
Deliciaſque breves, apices perituraque regum
Munia terrenûm, ut cœlum ſuſpiret in ipſum,
Cœleſtem expectans exerto vertice regem,
Aligera comitante manu ius dicat ut orbi,
Pœna ſua ut ſceleri, ſua ſint ut præmia laudi.
Quod ſupereſt ſobolis generoſo fertilis ortu
Stet domus, inque pios intret *Lucina* penates
Sępius, & multę det jus lętabile prolis
Rerum opifex nullo retrahens ſua munera ſeclo,
Regaleſque animos firmet virtute, coronet
Agmine cæleſti tutam hanc in ſecula gentem,
Imperio terrę dederit qui tanta *Britanna*
Lumina, qui patriæ tantam domuique cadenti
Ferret opem; quanta nec erunt pòſt uſa nepotum
Secula, nec quanta prius uſa fuere parentum.

Carmen

CARMEN GRATULATORIUM de *JACOBI 6.* Scotorum Regis Serenissimi incolumi *Sterlinum* reditu, *cùm ab ea urbe sua diutius abesset, civium* Sterlinensium nomine etiamnum maximo ejus videndi desiderio flagrantium multos ante annos scriptum.



RETA suum, si jure suo, *Minoa* crepabit,
Fatidici sobolem regis *Schelomona* propago
Aut *Solymæa* suum, pariter gens cætera claros
Virtute, insignes regalique indole reges,
Quos sua quæq; tamen decorant prçconia laudum
Quid fuerit tandem invidiæ si SCOTIA Regem
Instar cunctorum, magni incrementa Tonantis,
Scotigenam, tantumq; suum jactabit alumnum:
Materies superabit opus: superetur ab illa:
Vocula non tam grande sonat, non concipit intra
Pectora mens tanti, tam rara insignia regis:
Hæc famuli sat habent capiti munuscula regni
Ferre suo, ut gratam testantia pignora mentem;
Authorque audendi est frontem tranquilla serenans
Gratia, pacatoque micans pax aurea vultu.
Macte animo, macte ingenio Rex inclyte summo,
Sera licet, major votis tamen omnibus una
Spes, columen patriæ, generis lux aurea, regni
Immortale decus patrii viridisque juventę
Purpureum lumen, magno miracula mundo,
Nobile divini monumentum, & pignus amoris,
Pignus amicitiæ procerum, & pacalis oliva:

Carmen gratulatorium.

Quæ regio in terris fama ſuper æthera noti
Nominis ulla tui non eſt pleniſſima? tantum
Quem fore tot cecinere ante incunabula, cujus
Divinumque ortum ſtupuere oracula vatum.
Aſt vatum ignaras mentes tam rara fefellit
Gratia, purpureis largè ſuffuſa labellis,
Tantaque tot latuit maieſtas regia vates,
Imperio dignę maieſtas regia formæ;
Gratior & veniens ſpecioſo è corpore virtus,
Congrua ſpectandæ virtutis & actio formę;
Tot latuere ſacrę cæleſtia pignora mentis,
Conſilii vis tanta tui, mens proxima cœlo,
Magna manu verſare audens, maiora capeſcens,
Maxima concipiens, iuſtèque pièque furenti
Ambitione procul: nam non tibi debita cenſes
Poſcere ſceptra nefas, fas debita iure tueri
Et meritis gentem immenſis implere *Britannam*
Omnia pacanti dextræ terraque marique
Omnia concedent regum monumenta priorum,
Partaque de bello bene geſto inſignia laudum:
Scotia dat magnum, maius dabit *Anglia* nomen,
Cum *Gallo* famulaſque manus tenſurus *Hibernus*,
Laurea pacali tandem ſic cedet olivæ,
Unica tot ſceptris ſat erit cùm dextra gerendis.
Nil magis in voto eſt, quam vota explere rogantum;
Vota modeſta ullus confuſa pudore repulſæ
Jure queri poterat, mentis niſi livor iniquæ?
Totius orbis opes animis dum largior æquas
Largo animo largę reſpondent munera dextræ,
Fœlicem nimium ſobolem, nimiumque potentem
Scotigenam! propria hęc ſi dona auguſta manerent,
Seraque canities longævo vertice fuſa

Setius

Serius hoc ævo tardos tibi proroget annos:
Nominis auſpicio ut tanti ventura reſidant
Bella tui, paſſim pax ut tranquilla colatur,
Sub duce te pacis, duce te pietatis alumno;
Ut populo dicas ſolio ſubnixus ab alto
Jura tuo, legeſque feras Juſtiſſimus author,
Et mollire queas leges clementer acerbas
In populum puræ ſub relligionis honore,
Quem regis aurati juſto moderamine ſceptri,
Unde *Caledoniæ* lætum canet incola terrę,
Scotica ſe tantis attollet gloria rebus.
Fallimur? an nec vana fides? non vana feretur
Cum roſeo niteat vultu tantum inſtar in ipſo
O decus omne tuis, decus & tutela *Stuarti*
Nominis; ut ſoli cedat fiducia laudis
Tanta tibi, quanta eſt orbis menſura patentis,
Quantaq; perpetuî menſura eſt temporis ævi:
Tale tuum læti nomen grato ore ſalutant
Quos habet urbs antiqua viros *Sterlinia* quoſq;
Jam gremio fovet alma ſuo, frondentis olivæ
Gratantur reduci pręcincti tempora lauro, &
Lumine lætati vultus radiantis amico;
Tale tuum tota nomen celebratur in urbe
Urbe tua, veterum quondam quę ſola parentũ
Grata domus fuerat, longúm prope ſola voluptas:
Seu pavidas agitando feras poſuiſſe iuvabat
Tempora, ſeu celeres varia formidine damas.
Seu catulo pronum leporem ſectando ſagaci,
Vel nemus incultum, vel prata nitentia flore
Luſtrando, & latè ſaltus venantibus aptos,
Aut facilem niſo prædam captando volucrem,
Cum procul ambiguis tranſmiſerit aëra pennis:

Seu

Seu libuit læto complere palatia cœtu,
Rupibus aëriis, ſolido fundamine montis
Fulta hîc regali longúm lętiſſima pompa
Regia, conciliis regum tranquilla priorum
Curia, longè alias ſupra caput altior arces
Extulerat; ſed iam tanto quod lentus abeſſes
Tempore, ſollicitos multum eſt teſtata dolores:
Nam prius antiquis hac tolli ſede ſecundum
Regibus eſſe omen, vel fata benigna volebant,
Fata Dei facilem nutum arbitriumque ſecuta;
Rara vel heroum fidei conſtantia gentis,
Gentis ibi heroum mentem ſine crimine fraudis
Et ſine labe manum ſceleris quæ fida gerebat
Et gerit in patrii decus, & tutamina ſceptri
Pectora, quęque tuo regni pro iure paciſci
Rem, decus, & vitam nullo dubitaverat ævo.
Ergo tibi heroas tua cúm *Sterlinia* tantos
Proferat urbs, tantos pariter nutricia reges
Suſtulerit, reduci tantumque applaudat alumno
Lętitia exultans, quantùm illi pectora luctu
Torpida tabeſcunt ſine te, ſingultibus ora
In mediis quantum ſqualent rorata per imbrem,
Orat ovans, donis iam non cumuletur ut amplis,
Sed Deus extentos facundi *Neſtoris* annos
Det tibi, qui dederat pectuſque & *Neſtoris* ora:
Serus ut in cœlum redeas, liceatque tueri
Ut longùm iſtius radiantia lumina vultus,
Et iucunda tui pręſentis copia mentes
Sępius exhilaret longo in mœrore iacentes:
Nam ſine te aſſiduo langueſcunt pectora luctu.

FINIS.